

ruisse contendunt, erroris^a sui quantitatem coram oculis expositam detegamus. Porro si haec eadem beati Lucae testimonia, quae licet sub incerto annorum numero, in provectioni tamen etate ante conversionem suam beatum Dyonisium exitisse approbant, conferre velimus verbis Hiltwini, quibus eundem in die passionis dominicae XX^{ti} V annorum fuisse testatur, tunc profecto, utriusque testimoniis nullatenus discrepantibus, etatis illius numerum certissimum invenire poterimus. Si^b enim cuiuslibet etas ratione numeri explanati seu aliquibus indiciis vel argumentis circumstantibus matura asseratur, nil dissonare videtur. Quapropter computantes ab ipso dominicae passionis anno, qui, sicut Ieronimus scribit¹, Tyberii caesaris octavus X^{us} erat, usque ad Claudii octavum vel nonum annum, inveniemus absque dubio plus quam XV annos hoc modo. Nam sub Tyberio, qui XX duobus regnavit, restant quatuor. [Quatuor]^c annos [sub Caligula] habes, qui similiter iuncti octo faciunt. Hiis quoque si illos VIII Claudii annos ante conversionem sancti Dyonisii transactos adieceris, XVI annos habebis. Deinde nichilominus XVI ad XX^{ti} V connumerans quadraginta unum invenies. Igitur annorum etas tantorum in conversionis suae initio sancto inerat Dyonisio. Quorum scilicet annorum numerus suprascriptis centum XX^{ti} annis adiunctis plus quam centum LX^{ta} explicat annos. Ergo quicumque post tanta annorum curricula hominem quempiam solummodo illa mundi etate prima in negotiis humanis, non dico iam claruisse, sed interfuisse, tantum affirmare satagit, rem nimirum ridiculo potius quam fide dignam asserere videbitur.

15. Dyonisiorum quoque nullus nisi Ariopagita vitam hanc martirio consummasse, sed nec sub beati Clementis papae temporibus fuisse memoratur, quia idem Clemens apostolorum contemporaneus et discipulus, sicut Eusebius scribit², quarto quidem Domitiani anno apostolicae sedis apicem conscendit. Sed cum in ea annos novem complevisset, sub Traiano^d, qui Domitiano Nervaeque successit, qui longe ante Marcum Antoninum Dyonisio Corinthiensi contemporaneum regnavit, ex hac vita per martirium subtractus est. Ecce, quanta inter utrosque Dyonisios annorum distantia; ecce, quis eorum martir necnon beato Clementi contemporaneus fuisse describitur. Unde palam datur intelligi, quia ab eodem Clemente nequaquam

a) errores c. b) Sine c. c) die Stelle ist völlig verderbt; das Eingeklammerte habe ich dem Sinne entsprechend ergänzt. d) Troiano c.

1) Hieronymi Chr. ap. Migne Patrol. Lat. XXVII, col. 571. 2) Hist. eccl. III, c. 15.